

cùm enim pro salute Dionysii, cuius interitum omnes alii avidis votis expetebant, cottidiè vota faceret, ac cur id contra totius civitatis faceret vota interrogata, respondit: *ne sibi absumtus fuerit, deterior in ejus locum succedat. Bonis enim sæpe mali, rarò meliores succedunt.*

14. Et tandem 3. debemus *obedientiam*, quà, cognità imperantium voluntate, solliciti simus, quomodo facere eidem satis, & ita implere muneris nostri partes queamus. Spectat huc solutio tributorum, pecuniarumq; quæ ad stipendia Ecclesiæ scholarumq; ministris, consiliariis item aulicisq;, & iis, qui pro patriâ pugnant solvenda, ad ædificia publica extruenda & reparanda; ad vias publicas sternendas, ad pauperum sustentationem & alia Reip. negotia destinanda, exiguntur. Hæc enim omnia uti ad provehendum bonum publicum spectant, ita eroganda rectè ab iis veniunt, qui publico bono omnes opes suas, quin & sanguinem vitamq; ipsam debent. Unde rectè Agrippa apud Livium: *Quemadmodum totum corpus alimentis ventriculo denegatis ad tabem redigi necesse est: ita tributis Magistratui denegatis extrema Reipubl. pernicies dependet. Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possunt,* inquit Tacit. lib. 4. hist. 15. Circa quam pecuniæ erogationem licet magistratus moderationi studere debeat, ne occasionem saltem rebellionis alicui det; nullo tamen jure resistere subditi possunt, si secus fiat, & multà agantur acerbius. Non corrigenda armis Tyrannorum insolentia est (quod non nemo in Belgis laudat) si vel maximè precibus non potuerit emendari.

16. Improbandus itaq; illorum hominum conatus est, qui à Dominò suo comite Luthio Suevo dissidere & turbas movere in Germaniâ cœperunt propter
onera